

CENSURA SUPERIORIS LOCALIS.

Infra scriptus de expressa Commissione Admodum Reverendi Patris Nostri Provincialis legi, & cum gustu evolvi Librum Concionatorium ab Authore Venerando Patre Huberto Schneidt, actuali Concionatore Dominicali in nostro Colonienfi Olivarum Conventu, titulum: *Falx Evangelica ad ressecanda ex Agro Dominico Zizania*, quam profecto Falcem reperi non modo omni, quæ contra bonos mores, aut fidem orthodoxam posset esse, læsurâ immunem, sed & talem, quæ amplissimis pariter, ac validissimis sacræ Scripturæ, ac Sanctorum Patrum ictibus nihil spinarum, & tribulorum non tactum, nihil Zizaniorum, quantum est de se, non relinquat resectum totaliter, & dejectum. Unde optandum, ut singuli Agricola Evangelici sanctâ emulatione ducti, Falcem hanc Evangelicam brachio forti & extento arripientes, concreditos sibi Agros Dominicos ab omnibus nocivis Zizaniis purgarent penitus, & eximerent. Quem in finem Librum hunc cunctis, præsertim Verbi DEI Prædicatoribus summè recommendabilem, luce publicâ cenleo dignissimum, quia utilissimum. Dabam, & optabam in Conventu nostro Fratrum Minorum S. Francisci strictioris Observantiæ Recollectorum Colonienfi ad Olivas dicto die 29. Decembris 1731.

F. APOLLINARIS SCHWEITZER
Guardianus.



APPROBATIO THEOLOGORUM ORDINIS.

Nos infra scripti attentâ mente, Reverendo Admodum Patre Ministro Provinciali jubente, perlegimus Opus Concionatorium super Dominicas totius Anni, cui Titulus: *Falx Evangelica ad ressecanda ex Agro Dominico Zizania*, à Venerando Patre Huberto Schneidt Conventus Colonienfis Fratrum Minorum Recollectorum ad Olivas Concionatore actuali compositum; quod nil continet fidei orthodoxæ, aut bonis moribus repugnans: imò ob clarâ doctrinâ moraliâ lucem, & eximiam sacræ Scripturæ, sanctorumque Patrum explicationem, singularemque scribendi stylum, prælo, ac luce publicâ, ad Christi Fidelium salutem, & profectum, dignissimum judicamus. Datum in nostro Conventu Colonienfi Fratrum Minorum Recollectorum ad Olivas, die 30. Decembris 1731.

Fr. Venantius Börich Ss. Theologiæ Lector.
Fr. Wendelinus Sturm Ss. Theolog. Lector.

FA